

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

PH.D. Level Medieval Latin Examination

18 April 2001

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. **Water turns to blood: the first plague in Egypt**

Pergens igitur in Aegyptum Moyses, cum coram Pharaone ut sibi Dominus imperauerat signa faceret et Dei sententiam, ut Israeliticum populum dimitteret, regi indicaret, et ipse rex Dei praecepto nullo modo consentiret, et iubente Domino decem plagis terram Aegypti flagellaret, primo percussas in sanguinem uertit aquas, ita ut omnes aquae per totum Aegyptum mutatae in sanguinem animantibus quae in ipsis erant mortem praestarent, et per interitum sitis hominibus poenale facerent exitium. Haec autem primitus uindicta Aegyptiis cum rege suo conuenienter euenerat, ut qui Dei populi infantes in flumen iactari praeceperant, eiusdem fluminis aqua in sanguinem uersa exitium bibentibus inferret, et non bibentibus poenam praestaret. At uero et hoc requirendum est, quod ad praesentis operis propositum respicit, quomodo Deus naturae gubernator naturaliter aquam in sanguinem mutauit. Aqua, igitur cuncti liquoris materia, quotidie per ipsarum rerum ministraciones in diuersa mutatur, dum ad uniuscuiusque naturae pastum et refectionem indesinenter et naturaliter contrahitur.

2. Nithard responds to a request to write history

Cum, ut optime, mi domine, nosti, iam paene annis duobus illatam a fratre vestro persecutionem vos vestrique haudquaquam meriti pateremini, antequam Cadhellonicam introissemus civitatem, precepistis, ut res vestris temporibus gestas stili officio memoriae traderem. Opportuna quidem placidaque res, fateor, fuerat praecepta, si otium tanti negotii, ut digne exsequeretur, fuisset concessum; nunc autem, si quid minus vel incultius, quam oportuerit pro rerum magnitudine, huic operi inveneritis insertum, tanto facilius venia a vobis vestrisque mihi debetur, quanto me nostis eodem turbine, quo et vos, dum hoc opus peregerim, esse agitatum. Praeterire autem ea quae temporibus pii patris vestri gesta sunt disposueram, sed facilius cuilibet legenti altercationum vestrarum veritas patebit, si quaedam, que suo in tempore contigisse novimus, summotenus praelibavero. Avi quoque insuper vestri venerandam memoriam per omnia obmittere ratum minime videtur; ac per hoc textus hinc sumat exordium.

3. Pope Innocent IV orders the restitution of a dead man's goods

De libro memorie nostre non delevit oblivio, ab oculis nostre mentis temporis lapsus non subtrahit, quam sincera erga Romanam ecclesiam quondam Manentis Rainaldi Spoletani devotio fervuerit, quamque ferventi desiderio sui honoris optaverit incrementa; propter quod indignum existeret, si nos, qui sumus omnibus in iustitia debitores, dilectis in Christo filiis nobili mulieri F. uxori et Manenti nato suis, qui ob ipsius memoriam sunt ab eadem ecclesia diligendi, in suis iuribus deessemus. Cum itaque, sicut iidem sua nobis petitione monstrarunt, nonnulla bona et iura, que dictus M. habuit et possedit, a quampluribus, postquam pro ecclesie fidelitate servanda de civitate Sploetana discessit, fuerint occupata: mandamus, quatinus super hiis inquirens de plano et sine iudicii strepitu veritatem, que taliter occupata inveneris vel detenta, proventibus satisfactionem congruam exhiberi – statuto contrario iuramento seu quacunque firmitate alia roborato aliquatenus non obstante. Alioquin ... rectori ducatus Spoletani litteris nostris iniungimus, ut ipse mandatum super hoc apostolicum exequatur.

4. William of Poitiers imagines the speech of William the Conqueror before the Battle of Hastings

Exhortationem, qua pro tempore breviter militum uirtuti plurimum alacritatis addidit, egregiam fuisse non dubitamus; etsi nobis non ex tota dignitate sua relatam. Commonuit Normanos, quod in multis atque magnis periculis victores tamen se duce semper extiterint; commonuit omnes patriae suae, nobilium gestorum, magni nominis: nunc probandum esse manu, qua virtute polleant, quem gerant animum; iam non id agi, quis regnans vivat, sed quis periculum imminens cum vita evadat; si more virorum pugnent, victoriam, decus, divitias habituros; alioquin aut ocuis trucidari, aut captos ludibrio fore hostibus crudelissimis; ad hoc ignominia sempiterna infamatum iri; ad effugium nullam viam patere, cum hic arma et inimica ignotaque regio obsistant, illinc pontus et arma; non decere viros multitudine terreri; saepenumero Anglos hostili ferro deiectos cecidisse, plerumque superatos in hostis venisse deditionem, nunquam gloria militiae laudatos; imperitos bellandi strenua virtute paucorum facile posse conteri, praesertim cum iustae causae praesidium caeleste non desit; audeant modo, nequaquam cedant, triumpho citius gavisuros fore.